



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Replica Ioan. Eckii Adversvs Scripta secunda Buceri  
apostatæ super actis Ratisponæ**

**Eck, Johannes**

**Ingolstadii, 1543**

**VD16 E 416**

Christus iustitia nostra quomodo intelligatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30106**

Christum esse iustitiam nostram, nō propriam & inhærentem, sed imputatam, quia iustitia Christi imputetur nobis. Hoc quidem Melanchthonice, nullis ex sanctis patribus in istum modum loquendi habentibus. At si Christus est iustitia nostra imputata, ergo erit & sapientia nostra solum imputata, & nullus Christianorū esset vere formaliter sapiēs. Ita & Christus esset sanctificatio nostra imputata, & nullus ex Christianis esset vere & proprie sanctus per sanctitatem inhærentem, quæ omnia sunt falsissima & absurdissima. Rectius ergo dicunt catholici doctores, Christum esse iustitiam nostram effectiue seu causaliter, quia effecit in nobis iustitiam: Vel meritorie, quia Christus per passionem & mortem meruit nobis iustitiam, sapientiam, redemptionem nostram. A deo quod nulla omnino esset in omnibus hominibus iustitia, si Christus non reconciliasset nos patri. Sic etiam est resurrectio nostra, quia est causa redemptionis nostræ, & meruit nobis redemptionem & vitam æternam. Verum est, ad litteram Paulus docuit, quomodo Christus suppleat defectus prædicatorum: at illa non prosequimur, sed Buceri calumnias, facit enim more hæreticorum, quibus cum verum dicitur, cui respondere non possunt, rodunt murmura salebrosa, ait Augustinus contra Donatistas.

Christus  
iustitia nostra.

Lib. 1. ca. 7

Locum Augustini in libro citatum ostendi non vrgere, cum alio tetenderit Iulianus, & Augustinus in genere contra eum assumat, quæ etiā ad actualia peccata se extendunt. Maledicus ita assumit, ac si noluerim adducendum Augustinū, ubi contra hæreticos agat. At hoc nō habet Eckius, sed apostata attulit ex vlcere cordis sui. Redit ad concupiscentiam, an sit peccatū. Et nescio, an sit maior malicia vel superbia: quia cum fateantur nobiscū in baptismo remitti omnia peccata, fatentur nobiscū Augustinū voluisse concupiscentiam in peccato remitti, vt non sit peccatū: fatentur

Buceri malicia.

L nobis